



**Magni Cartesii manes ab ipsomet defensi : sive N. V. Renati  
Descartes querela apologetica ad amplissimum magistratum  
Ultrajectinum, qua technae, calumniae, mendacia, falsorum  
testimoniorum fabricae, aliaque crimina Voetiorum & Dematii,  
plene reteguntur : opusculum antea ineditum, nunc vero  
opponendum quotidianis Voetii & Voetianorum  
criminationibus, iis nominatum quas sub theologiae naturales  
reformatae titulo haud ita pridem emiserunt**

<https://hdl.handle.net/1874/10265>

62 457 21  
MAGNI CARTESII MANES

*ab ipso met defensi;*

SIVE

N. V. RENATI DES-  
CARTES

*Querela Apologetica ad Amplissimum*

*Magistratum Vltrajectum,*

Quâ technæ, calumniæ,

mendacia, falſorum testimoniorum fabri-

cæ, aliaque crimina

*Voetiorum & Dematt, plenè*

*reteguntur.*

Opusculum antea ineditum, nunc verò oppo-

nendum quotidianis Voetii & Voetianorum criminatio-

nibus, iis nominatim quas sub THEOLOGIÆ NA-

TURALIS REFORMATÆ

*titulo haud ita pridem emisserunt,*



VRISTADII,

Apud Lancelotum Misopodem ad insigne fortunæ

volatilis insuburbio. 1656.

## AD LECTOREM.



*V*ex Africa semper aliquid novi, ita quotidie aliquid monstru prodit ex officina Voettiana: adeo pertinax est illud Theologicum Gilberti Voetii odium ut videatur Aina ac Vesuvii perennes flammis superare. Iamdiu nosler Heros ad plures in Suecia abierat, Schoockio-Voettiana lis post Schoockii appellationem per annos aliquot siluerat, scriptioinum polemicarum inducua Authoritate publica inter Voetium & Maresum, seu earundem partium Theologos, pacta fuerant, cum derepente apparuit instar spectri horridioris Voetii THEOLOGIA NATURALIS REFORMATA, partim ineptiis ineptissimis referta, partim verò calumniis & conviciis atrocissimis in Maresum, Schoockiam, ac totò tractu CARTESIUM, Philosophorum Decus & Coryphaum, tota consuta, ut revera pro Theologia naturali reformatà, meram diaboliam moralem deformatissimam suo Lectori exhibeat. Displicuit equidem ille liber inscetus prudentioribus omnibus, fuitque ut audinus censurà notatus à quibusdam Synodis in Belgio; Sed cum hac iudicia intra privatos parietes maneant, aliquid illi reponi publicè debuit, ne de Veritate & Innocentia aliorum ejus author impunè triumphet, & sibi de sua maledicentia tanto magis gratuletur, quanto grandius honorarium dicitur à Magistrata Ultrajectino ex illius dedicatione retulisse. Quid fecerint aut facturi sint Groningenses nobis nondum constat, nisi quod sando accepimus Maresum aliquid pro se scripsisse per modum Appendicis ad alium aliquem tractatum Theologicum, quod num sit verum & an Schoockius sit taciturnus, dies docebit. Nos verò non putavimus nostrum Heroem melius defendi posse quam à seipso: Profecturus in Sueciam hanc Apologiam quam tibi damus Gallicè à se conscriptam, Latine versam ab Amico, reliquerat in his oris, cum animo eam evulgandi, si privatum nihil operaretur. Quoniam verò morte preventus, nequivit quod destinaverat perficere, importunitate Adversariorum suorum cogimur nunc eam in lucem emittere, ut quam maledicendo homini mortuo ceperunt voluptatem, vera de seipsis audiendo ab ipsomet amittant, ac in posterum desinant imbelles lepuseuli leonis mortui barbam vellicare. Si contuleris quæ hic summus ille Vir clarè, judiciosè & nervosè, ut solet omnia, ad sui Defensionem conscripsit, cum iis quæ habet Theologia naturalis reformatà (sed Reformationis Voettiana) à pag. 253. ad 264. inclusivè, videbis hæc omnia Cartesiano fulmine ita protrita & in pulverem redacta, ut nihil aliud restet Voetiis quam ad hujus Galli inexpectatum cantum, si quam adhuc retinent conscientiam, seridè respiscere &

## AD LECTOREM.

oris illoti amarulentiam, in amaras lachrymas penitentia commutare. Potuisset huic Cartesianæ Apologia, alia non nulla hæctenus visa adjicere, quæ sufficerent plenissimè retundendis veteribus calumniis quas Theologia naturalis reformatæ recoquit; Sed nec opus fuit ista veteramenta huic novæ purpura nostri Cartesiani assuere, cum satis per se subsistat, & poterunt illa seorsim recudi ac in unum fasciculum rerum expetendarum ad causam Cartesianam compingi, si eò nos adigant Voetii & Voetiani. Admitte interea indicem nonnullorum opusculorum huic potissimum spectantium, quæ tibi commendatissima secundum hanc Apologiam esse velimus: Belli sacri triumphus, sive Sententia lata 31. Maii. 1649. à Nobilissimo & Amplissimo Magistratu Ultrajectino, inter D. D. G I S B E R T U M VOETIUM arrestantem & CAROLUM DEMATIUM adjunctum S. Theologiæ Doctores & ejusdem Facultatis Professores in Academia Ultrajectina ab una parte, & D. MARTINUM SCHOOCKIUM L. A. M. ac Professore Philosophiæ in Academia Groningana, arrestatum & ciratum ab altera parte; ad decisionem actionis famose magno cum impetu toto ferè quadriennio inter partes continuatæ; Cum variis variarum super eadem sententia reflexionibus, clam Groningâ perscriptis ad Celeberrimum virum D. G I S B E R T U M VOETIUM ab occulto quodam ipsius discipulo, & nunc in Curioforum gratiam in lucem protractis à Paulo Philalethe Colmopolitano. Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Hoc scio pro certo quod si cum sterore cælo  
Unico vel unicos semper ego maculor. Anno 1649.

Gravamina Schoockii contra eandem sententiam edita Belgicè, Groningæ eodem anno apud Iohannem Nicolai. Allocutio serica & Christiana ad D. Gilbertum Voetium S. S. Theologiæ Doctorem & Professore, itemque Ministrum verbi Divini, quod verbum veritatis, in Ecclesia Ultrajectina, pro Martino Schoockio, Philosophiæ Professore ordinario in Academia Groningæ & Ommelandiæ; instituta occasione monstrosæ præfationis præfixæ recentis editioni Bibliothecæ Voetianæ, in qua Schoockius nullâ suâ culpâ à Celeberrimo illo Theologo, intolerandis quæ calumniis, quæ mendaciis gravatur. Groningæ typis Henrici Luffinck Typographi in platea cygnea anno 1652. Auctionarium primum Bibliothecæ Theologiæ D. Gilberti Voetii nuper recusatæ cum viru-

lenta

## AD LECTOREM.

lenta præfatione, continens I. Summariam deductionem litis decennalis quæ ipsi cum Samuele Maresio, licet pacem & amnestiam semper deprecante & offerente, hactenus intercessit. II. Vindicias Conditionum Amnestiæ & Reconciliationis partibus oblatarum à R. R. Deputatis Synodi Groning Omlandicæ, ab hoc admissarum, & ab illo rejectarum. III. Conditiones iniquissimas & impracticabiles ab ipso D. Voetio pro imperio præscriptas. Ad ejus pertinax odium & animum invincibiliter irreconciliabilem toti Belgio demonstrandum: ἵσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σοῦ ταχὺ, εἰς ὅτε εἴ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ. Matth: v, 25. Groningæ ex officina Johannis Nicolai anno 1652.

Plura potuissent addi, sed in hujus quadrige indicio nunc subsistimus, moneamusque Voetium, ut si quando voluminosas suas Theses de Fallo, (eodem tempore editas cum Theologia naturali Reformata, ut Ampliff. Viro D. Berckio per homines sue factionis presso insultaret, & immemor fidei publicè data de non amplius offendendo veterem suam calumniam contra Maresium circa ludicrum Antiplacitum Leodicense orbi literato in nova hac patina fuscè reponeret) secundis curis studebit illustrare, hoc problema à se omissum tractet accuratè; An ille pro falsario nequissimo non sit habendus, qui formulas falsi testimonii suâ manu scriptas, mittit alteri, ut tali falso testimonio, suam causam promoveat apud judices, & iniquam viri Innocentis condemnationem procuret? Sed quamdiu manet obfirmatus in suo crimine & fretus Tribunitiâ potestate quam exercet Ultrajecti putat sibi omnia & in omnes licere, Deum rogamus ut detectâ tandem ejus hypocrisis & impietate illi reddat secundum sua opera; sed tibi, Benevole Lector, omnia fausta & sælicia vovemus ac comprecamur. Vristaadii, x. Augusti 1656.

Renati

Renati Des Cartes ,

*Querela Apologetica ad Amplissimum**Magistratum Ultrajectinum,***Quâ technæ, calumniæ, men-**

dacia, falsorum testimoniorum fabricæ,

aliaque crimina

Voetiorum &amp; Dematii, plenè

reteguntur.

*Nobiliss. & Ampliss. Domini;*

U<sup>i</sup> norunt continuas, quas per quadriennium à Voetiis sustinui injurias, mirantur quod huc usque eas vindicare conatus non fuerim; non quod eorum vel sermones vel libri digni censeantur quos morer, nisi vestrà abuterentur autoritate ad me lædendum; sed quoniam omnes suas in me calumnias inædificant sententiæ quam à Vobis in me latam prætexunt, ad mei honoris & nominis defensionem credor passim obligari: Idem quoque & ego sentio; sed differendi causa fuit tum negotium quod mihi cum Schoockio, tum illud quod huic cum Gisberto Voetio intercessit: Interea pertuli omnes insultationes horum Voetiorum, qui me tanquam *Desertorem causæ* injuriosè traducunt, & in vestram provocant urbem, quasi mihi in illa aquâ & igni interdictum esset. Quin & mirantur nescio quam se sibi actionem in me servare, quam sint profecuturi idoneo tempore; adeo ut me, etsi nollem, ad mei defensionem cogant; Sed ut ordine procedam, & reliquo saltem orbi, (si non etiam Vobis) satisfaciam, & palam faciam omnibus, me nihil unquam omisisse non solum officii, sed etiam comitatus, quo mererer plenè alio modo à Vobis haberi quam habitus sum, hîc summatim vobis exponam causæ meæ justitiam & iniquitatem adversariorum meorum, ut si pote est per vos ipsos eorum ulciscar injurias; aut si istud consequi non dabitur dignemini saltem me edocere de ordine litis contra me in vestra Urbe institutæ, qui in illa federint iudices, & quibus motivis innixi fuerint. Necdum enim quicquam de eo rescivi nisi per scripta istorum Voetiorum, aut per rumores in eorum favorem sparsos, quibus certò credere non possum.

Anno 1639. mense Martio D. Æmylius in Vestro Lyceo Professor & præcipuum

paum illius ornamentum, oratione funebri parentavit D. Renerio, qui etiam Vestram Academiam plurimum ornaverat; ac inter multa ad ejus honorem spectantia, maximam Orationis suæ partem insumpsit in eo landando ab amicitia quam mecum coluerat; iis in me colatis maximis Elogiis quæ referre recundia mea non finit: Hic solum apponam titulum & conclusionem Elegiæ quam orationi illi cum excude retur adjunxit; Titulus hic erat; *Ad manes defuncti qui cum Nobilissimo Viro Renato des Cartes nostri sæculi Atlante & Archimede unico, vixit conjunctissime, abdita natura & cœli extima penetrare ab eodem edoctus*; Et in conclusione ita compellabat defunctum;

*Et nova quæ docuit, tibi nunc comperta patescunt,*

*Omnisque in liquido sunt manifesta die,*

*Ut merito dubites utrum magis illius arti,*

*An nunc indigeti sint magis clara tibi.*

Honestioribus è vestra Urbe hæc laudes placuerunt, uti ex eo patuit quod eas publici juris fieri per Academiæ vestræ Typographum expedire visum fuit: nec in illas ullius adulationis cadebat suspicio, cum eo tempore D. Æmylius non nisi ex fama & scriptis meis me nosset; Nec eas ipse expetiveram; nam è contrario, cum quædam eodem spectantia carmina ab ipso condita & ad me missa ut illa perlustrarem, postea repeterentur, quod eorum exemplar nullum haberet, illa tamen prælo vellet committere, honestè me ab illis restituendis excusavi; non quod mihi à tanto viro laudari volupe non esset; sed quod cum scirem vix quem posse summis efferri laudibus à laudatissimis viris, citra eorum offensam qui tales volunt haberi neque sunt, satis mihi erat nosse quid de me sentiret, nec id ab ipso vulgari cupiebam.

Paulo post, nempe mense Junio ejusdem anni, G. Voetius prolixas conscripsit theses *de Atheismo*; Et quamvis disertè in illis non nominarer, qui tamen memorant, satis possunt percipere jàta ibi ab eo fuisse fundamenta pertinacis illius Calumniæ, in qua semper deinceps perseveravit. Immiscuit enim illic Atheismi notis omnia quæ ex rumore publico mihi tribui noverat, etsi ex illis nihil nisi bonum & laude dignum fuerit; Et quod notatu est dignissimum, me quoque ex fama demum & scriptis noverat; adeo ut ex illis ipsius dotibus quæ laudum Æmylii materia fuerant, Voetius maledicentiæ suæ venenum conferit.

Non dicam quot honestiorum testimonio ab eo tempore compertum habuerim conari ipsum omnibus persuadere me Atheum esse, & quomodo undique per has Provincias hoc virus dispergeret: Id enim vellet sibi probari, & quamdiu eâ pollebit potestare nemo est qui velit in ipsum testis esse: Satis habuero observasse quod anno sequenti, ivit perquisitum per ipsa Galliæ Cœnobia, unum ex ferventissimis Religionis Romanæ propugnatoribus, quo cum in me conspiraret, tanquam in generis humani hostem publicum: Repetam hæc quædam ex ea quam ad ipsum perscripsit epistola, cujus ad *αἰολογραφον* quod est penes me, exactum apographum hactenus vobis misi: Hæc sunt ipsius verba:

Renati

*Renati des Cartes Philosophemata quaedam Gallicè in 4.<sup>to</sup> edita, vidisti proculdubio. Molitur ille vir, sed sero nimis, ut opinor, sectam novam nunquam ante hac in re- rum natura visam aut auditam, & sunt qui illum admirantur atque adorant tan- quam novum Deum de caelo lapsum; Et paulo post; Iudicio ac censura tua & ipsius & ipse subijci debebant: à nullo Physico aut Metaphysico foelicis deicerentur quam à te; quippe quia in parte Philosophiæ excellis in qua ille plurimum posse creditur: in Geometria scilicet & Optica. Certè dignus hic labor eruditione & subtilitate tua; Veritas à te asserta hæctenus & in Conciliatione Theologiæ ac Physiæ & Meta- physicæ cum Mathesi ostensa te requirit vindicem &c. Ubi notari velim, quod licet nefas non sit amicitiam colere cum hominibus alterius religionis & ad illos perscribere (aliàs reatu grandi propter fœdus cum nostro Rege vos ipsi im- plicaremini) tamen in Sancto hoc Reformato, qui me plerumque Iesuitastrum vocitat, nulloque frequentiori ad me apud vos traducendum utitur argumen- to, quam eo quod à mea desumit Religione, id indicio est certissimo non ser- vare illum regulas quas aliis solet præscribere; nec tantæ esse scrupulositatis, si credat nihil istius emanaturum ad plebem, quin possit unius è nostris Reli- giosis ambire benevolentiam, cumque pro veritatis assertore agnoscere, di- cendo Veritas à te asserta & in conciliatione Theologiæ ostensa &c. si modò per ipsum mihi ullo modo obesse queat. Et quo constet eum, non quod aliquid pu- taret reprehendendum esse in meis opinionibus (quas nequidem, utpote captum ejus superantes, assequi potest) sed ex mera malignitate conatum fuisse me publicè traducere tanquam novæ cujusdam hæreseos authorem, dicendo Mo- litur ille vir novam sectam &c. Et sunt qui illum adorant tanquam Deum &c. re- feram quid ipsi prudens ille & eruditus religiosus responderit; Se videlicet li- benter contra meas opiniones scripturum, si rationes ullas haberet ad eas im- pugnandas; rogare igitur Voetium vellet suas secum communicare, aut quas amici suggererent, se quoque à sua parte in illas inquisiturum: Sed nullam un- quam transmisit Voetius, licet mihi nominati fuerint quibus earum perquisi- tionem commiserat. Satis habuit suam cum Vanino comparisonem, quæ pri- mas tenet inter ejus calumnias, perscripisse, & famam spartisse illum Mo- nachum contra me scripturum.*

Adhæc ut liqueat non me metuere, si meæ quoad res litterarias sententiæ impugnentur, nec ullo modo id trahere in offensam, modò à calumniis con- tra meos mores abstineatur, hic addam Sapientem illum religiosum, suum responsum apertum mihi misisse, ac meo arbitrio illud permisisse, meque ip- sum id fideliter G. Voetio reddendum curasse, postquam legissem & obsigna- sem. In quo nihil suberat figmenti vel collusionis: ille enim religiosus animo destinabat facere quod promittebat; ac si Voetius eum conspiratæ suæ factio- nis univervo popello, vel minimam illi contra me rationem suggerere potuis- set, eam proculdubio ille visisset chartæ, quod & mihi fuisset gratissimum: uti inde patuit quod postea alias scripto mandavit quas ego ipse edi curavi sub titu- lo secundarum objectionum adversus Meditationes meas.



Taceo quæ illo biennio evenerunt quoad D. Regium, qui putabatur meas opiniones philosophicas docere, & periculum adit primi propter illas Martyrii, licet postea viderim in libro cui nomen suum præfixit, cum hac in parte innocentiorem fuisse quam putaveram; Nihil enim eo in libro posuit eorum respectu quæ ad Theologiam possunt referri, quod meo sensui ex diametro non adferetur.

Teneo tamen dicere quod occasione unius in thesibus suis voculæ quæ nullius erat momenti, nec quo sensu eam interpretabatur cum recepta pugnabat sententia, contrarias Theses Voetius emisit quæ per triduum fuerunt agitatae; in qua disputatione & ego fui nominatus, ne dubitari posset me illi esse authorem opinionum earum quibus id suis in thesibus dabat elogii, Atheos vel bestias esse qui eas admitterent: Et quasi novæ alicujus sectæ hæreticorum ἀγχιρὸς fuisset, aut me venditasset pro Propheta, de me, ridendi causâ, dicebat *Elias venit*. Imo parum absuit quin D. Regium hæreseos notâ inureret Facultatis suæ Theologicæ nomine, quod facturus erat nisi Primarius Vestri ordinis Vir eum impedivisset; ac tandem emissum fuit Academiæ vestræ nomine iudicium, quo meæ damnabantur opiniones sub titulo *novæ & præsumptæ Philosophiæ*; post quæ nihil aliud ei restabat, quam abuti Facultate suâ Theologicâ, quæ tota uti postea patuit in ipsius erat arbitrio, ad me traducendum apud Magistratum ceu authorem doctrinæ adeo perniciosæ, ut unum ex vestris Professoribus tabe hæreticâ infecisset.

Postquam hæc omnia mihi innotuissent, summæ fuisset imprudentiæ me istius hominis machinationibus non opponere; nec potuissent honestiorem ad id, justiorem, aut molliorem viam insistere & de qua minus posset queri, eâ quam institi. Satis enim habui occasione scripti quod tum mihi sudabat sub prælo, enarrare paucis injurias quas ab ipso acceperam, non alio animo quam ejus cuniculos detegendi, & maledicentiæ ipsius impetum infringendi, significando iis qui eas audire possent, non esse citra probationem admittendas, eo quod ab homine inimico prodirent.

Quæ moneo ad eos erudiendos quibus probus iste Vir persuasit me priorem ipsum adortum fuisse: juvabit enim illos scire, quod præter tetros sermones quos undique accipiebam ab ipso de me haberi, in suis lectionibus, disputationibus, Concionibus & alibi, & ipsius manu exaratas epistolas (quarum autographa asseruo) in quarum una me confert cum Vanino, cui comparationi atrocissima & foetidissima obtrellationum suarum innititur, possim enumerare septem diversa scripta typis excusa, quibus mihi nocere annexus est priusquam aliquid dixissem, scripsissem aut fecissem adversus eum: Nempe quatuor varia de *Atheismo*; quintum quod vocabat *Corollaria thesibus de Iubilæo subjecta*; sextum quod erat *Appendix ad ista Corollaria, sive Theses de formis substantiabilibus*, & tandem pro septimo *Iudicium Academiæ Ultrajectinæ*. Non quod velim quicquam demptum parti ei quam ipsius Collegæ sibi in hoc ultimo vendicant; sed cum ipsorum tunc esset Rector non ibunt inficias potiorum illi debe-

deberi. Dicitur fortasse, me in majori parte illorum Scriptorum typis editorum nominatum non fuisse; sed nec ipse in meo scripto nominabatur, inò nec vestra vel Academica vel Urbs: adeo ut id solum esset discriminis quod vera cum essent quæ de ipso scripseram multo magis eum offendebant, quam me quæ de me scripserat; ut pote quæ omni non solum veritate, sed etiam verisimilitudine carerent.

Revera ita ipsum pupugit hæc mea scriptio, ut paulo post resciverim agitare eum consilia de actione injuriarum mihi movenda, & varia scripta contra me componere; ut vellet eodem tempore me verberare & in jus trahere, quo sic mulctaretur insuper qui vapulasset.

Et sanè variis ex locis præmonebar ipsum contra me scripturire: etiam, adeo res erat vulgata, ex Gallia id ad me scribebatur; Referebantur quoque ex ipsius in me scriptis nonnulla singularia, quæ nunc prostant partim in Præfatione libri qui Schoockio tribuitur, partim in Historica narratione quæ vestræ Academiæ nomen præfixum habet. Etiam edocebar ipsum deliberare de iis qui ipso instigante in me essent scripturi, id est qui sub suis nominibus compositiones ejus evulgarent *Stylum faciendo suum* & addendo de suo quod possent; atque in multorum hominum consortio quendam dixisse, eas partes esse filio ipsius committendas, sed intercessisse matrem, ac respondisse filium suum Iuniorum esse quam ut suæ famæ periculum hoc subire deberet; maritumque potius scripturum, si quenquam scribere oporteret. Necdum ulla Schoockii fiebat mentio; & plures tum sciebant quid futurum esset in eo libro qui postea prodit ejus nomine. Quod observo ut expendatis, quam parum probabiliter post ista posset Voetius persuadere contra conscientiam infinitorum hominum, qui idem quod ego noverant, se futurum extra noxam librorum qui in me ad sui defensionem ederentur; ac simul videatur, ac simul videatur, justam mihi suppeticisse causam ubi accepi sex priora folia talis libri, cui nullius dum authoris nomen erat præscriptum, Voetio inscribendi responsum quod illi adorabam.

Sed quod me maximè movit ad illam responsum conscribendam, non fuit atrocitas injuriarum quas illis in foliis repenebam; ita absurdæ & parum credibiles erant, ut digniores contemptu quam offensâ & irâ viderentur; Verum eo me tres aliæ graviore rationes impulerunt: Harum prima fuit publica utilitas & quies harum Provinciarum, quam semper optarunt & procurarunt Galli mei majori cum cura quam plures indigenæ: quamvis enim nullius criminis dicam Voetio scribere vellem, putavi utilem me huic Reip. operam navaturum, simplicioribus ear veritates reregendo quas de ipso compertas habebam, eodem prorsus modo, at longè meliori jure, ac ipse plura de me spargebat mendacia, fingendo id se facere ad præmonitionem studiosæ juventutis. Altera mea ratio fuit, quod speciatim nossem me rem gratam facturum pluribus Civibus vestris; non iis equidem qui à vestris sacris abhorrent, ut absurde aliis persuadere conatur. (ex illis enim credo neminem esse qui eum sic non con-

remnat, ut optet illi similes omnes fieri qui illa tuentur ac sectantur) sed plurimis maximè Zelotis & honestioribus ex iis qui ea profitentur, etiam ex Vestris Ministris; quibus id laudis debeo quod licet nihil non fecerit ut eos partibus suis implicaret, & libellum supplicem ad id cuidam Synodo obtulerit (ut filii sui scripta me docent) nihil tamen ab illis in meum præjudicium consequi potuerit: Imo quod à Synedrio testimonium retulit ostendit ideo s denegasse. Nam transcripto verbo ad verbum libello supplici quem obtulerat & in quo nominor, simplex illi perhibent testimonium Morum, quale honestè nequisissent ulli Collegæ suo denegare, quamdiu nondum iudicii publici censuram incurrit, nec eum accusare volunt; sed nullam isthuc mei vel ullius rei ad me spectantis faciunt mentionem; quin declarant id ei concedi testimonium ad vestrum postulatum, *op het versoeck van de achtbaere Heeren Magistraet der Stadt Utrecht* &c. forte non concessuri illud si solus petisset: Et etiamnum vix dubito quin si, remotis ex eorum numero iis qui ejus esse Creaturæ vel Discipuli noscuntur, ceteri rogentur quid sentiant de falso testimonio quod Schoockio adversus me præscripsit, sint de re tota sincerè & candidè pronunciaturi. Tertia mea ratio fuit quod cum Voetius vellet mihi scribere injuriarum actionem ad ea probanda quæ obiter & summarè priori meo scripto fueram complexus, putavi singula esse distinctius explicanda & ita dilucidè altero scripto comprobanda, ut sublevarer labore illa ulterius probandi in iudicio, & ipsi demerem voluntatem me ad id juridicè cogendi.

Sic ergo altero meo Scripto adornato, ut & ipsum semet sufficienter tueri, & prius quoque defendere posset, missisque illius exemplaribus quibusdam ad D. D. binos vestros Consules p. t. quæ illis oblata fuere honestissimè meo nomine per duos è primariis & honestioribus Civibus vestris, non leviter me percudit quod aliquot postea septimanis, vestrum recepi Edictum promulgatum 13. Junij 1643. Non quod impendio non lætarer de eo quod continebat respectu Voetii; ejus enim ibi manifestam condemnationem legebam, eo quod ipsum pronuntiabatis inutilem imo valdè noxium vestræ Urbi, si quæ de illo scripseram vera forent; de illorum etenim veritate certus eram; Sed mirabar me à Vobis citatum fuisse ad ea comprobanda, quasi ulla Vobis jurisdictione in me competiisset; Mirabar quoque hanc citationem tanto cum strepitu factam fuisse & ad campanæ sonum, ac si reus fuissem; & tandem mirabar quod ad id supposuissetis nescire vos domicilium meum; cum D. D. vestri Consules, de illo potuissent edoceri (nisi jam non illud nesciebant) rogatis iis qui librum meum ipsis offerre meo nomine dignati fuerant. Quoniam tamen hic procedendi modus varias posset interpretationes admittere, & me non odium sed amorem vestrum commeruisse putarem, credidi vobis animum esse non mihi nocendi, sed solum rem totam divulgandi ut qui reus erat & vestræ jurisdictioni obnoxius, posset cum totius orbis approbatione puniri.

Ideo quoque meam ad vestrum Edictum responsonem typis mandavi, quæ post gratias actas quod dignaremini Examen suscipere morum hominis à quo lætus

læsus eram, rogabam etiam ut eâ occasione velletis inquirere num conscius & particeps fuisset libri sub nomine Schoockii editi, quo variis proscindebar calumniis; non quod disertè affirmarem eum hic complicem esse; sed cum omnes id suspicarentur, iusta suberat causa vos enixè rogandi ut quæstionem hac de re haberetis: Etiam expressissimè declarabam nolle me Actoris contra ipsum partes suscipere, & protestabar de injuria, si ullam in me jurisdictionem arriperetis: ac tandem, si quæ forte viderentur Vobis non satis dilucidè probata in meis scriptis, me sufficientes eorum probationes Vobis subministraturum pollicebar, quoties illas à me petere placuisset.

Post tale responsum impossibile putabam ullam vobis fore intentionem me divexandi, cum præsertim ex variis locis nunciaretur librum meum diligentissimè à plurimis lectionum fuisse, imo à multis eorum qui Magistratu in præcipuis harum Provinciarum Civitatibus defunguntur, nihilque quenquam eorum in illo observasse, quod Voetio querendi de me aut vobis me vituperandi justam ansam præbere posset: adeoque mea causa tam universaliter probabatur, ut qui de illa aliquot hominum chiliadas diferentes audiverant, asseverarent duos tantum repertos esse qui me culpæ anniterentur; Et hi duo palam agnoscebantur tanquam Voetianæ factionis proxenetæ ejulque emissarii, ut loquitur Schoockius, qui affirmat plures tales ei esse; quod Schoockio optimè perspectum esse debet.

Nihilominus mirabar, nullum amplius nuncium Ultrajecto, uti solebam antea, me accipere; Et tres integri menses elapsi sunt priusquam rescirem quid isthæc ageretur, quibus finitis duas successivè accepi epistolas, manus mihi ignotæ, quibus monebar Prætozem Vestrum me tanquam reum citasse personalitèr, neque etiam securum futurum hac in Provincia, eo quod per Concordata quædam, Sententiæ quæ in vestra feruntur, etiam in hac mandentur executioni: Jocari epistolarum scriptorem initio rebar, nec id me commovebat; Hagam tamen excurri de re tota accuratiùs inquisiturus; & cum ita se am habere comperissem, adij Excell. D. Legatum de La Thuillerie, qui promptissimum in me juvando se prestitit, ut & generatim reliqui omnes quos compellavi; atque sic facillimè obtinui quod volebam.

Sed nihil aliud petieram quam sufflaminari impetum extraordinariæ actionis, in cujus primordiis credebam adhuc vos versari, planè nefcius sententiæ quam ajunt Vos jam antea in me tulisse. Nihil istius inaudivi nisi post aliquot septimanas, cum casu delapsus in consortium Nobilium quorundam & Generosorum illorum animorum, qui studio justitiæ ducuntur, quamvis nullam familiaritatem contraxerint cum iis quos læsos putant, ab illis audivi promulgatam fuisse contra me Vestro nomine Sententiæ, quâ duo illa scripta in quibus de Voetio loquutus eram, tanquam libelli famosi damnabantur: Et quoniam vix poteram id mihi persuadere, eo quod haberem in vestra Urbe amicos, qui id mihi non renunciarent, licet antea in tempore monuissent de Edicto vestro promulgato 13. Junij, responsum fuit, illam promulgationem 13. Junij factam fuisse.

fuisse longè celebriori ritu quam aliàs solet, majori cum populi convocazione, fuisseque edictum illud typis descriptum, affixum, & sedulo per præcipuas hujusce Belgii fœderati Civitates transmissum, ut mirum non fuerit id mihi innotuisse; Sed post responzionem meam, planè stylum & ordinem agendi fuisse immutatum, meosque adversarios tam sollicitè cavisse, ne resciretur id quod contra me moliebantur, ac si consilium fuisset clancularium de hostili qua urbe intercipienda: voluisse tamen eos quasdam formalitates, uti loquuntur, observari, eaque de causa sententiam quam à Vobis erant consecuti, è Curia recitatam fuisse, sed horà solitâ, & post alia scripta, & cum judicabatur id à nemine eorum à quibus præmoneri potuissem animadversum iri. Verum non ita sollicitos fuisse respectu citationum vestri Prætoris quæ erant sequutura; utpote cum reputarent me licet præmonitum, nulla ratione illi malo medicam manum adhibere posse, eo quod libris meis jam damnatis, & me personaliter citato, sequutura esset sententia ob vadimonium non obitum, quæ nihil sonaret mollius, quam exilio me gravique ære mulctandum, & libros meos flammis ultricibus absumendos: Quin affirmant nonnulli (*Vl. pat. pag. 407.*) Voetium jam in antecessum transegisse cum Carnifice, ac stipulatum fuisse tantum illum excitaturum ignem eos comburendo, ut flamma è longinquo conspici posset.

Addèbatur Consilium eorum post ista fuisse typis committere sub Academiæ Vestræ nomine prolixam narrationem eorum omnium quæ facta essent: eique plura adjicere tum testimonia tum carmina tam in laudem G. Voetii quam in contumeliam meam, eorumque exemplaria sedulo per totum terrarum orbem transmittere, ut nullum in locum ire possem quem mei nominis infamiâ deturpatum non reperirem, & ad quem gloria triumphi Voetiani non se extenderet.

In istius rei confirmationem referebatur quod post istius processus impetum quadantenus sufflaminatum, adhuc edita fuisset nomine Academiæ vestræ narratio eorum quæ contigerant ante primum meum scriptum, cum aliquot ex illis testimoniis in favorem Voetii corrasis, & has fuisse pulveris sui pyrii reliquias, quas consumere voluerat cum spes jam decollasset illis melius utendi.

Quærebam quo fundamento quove prætextu eo ordine contra me actum fuisset; Sed nihil certi respondebatur; Solum dicebatur quod à tempore primæ vestræ publicationis, omnes emissarii & affectæ Voetii perpetuâ suâ maledicentiâ occupaverant omnes circulos & omnia consortia in quibus poterant reperire qui patulas aures sibi præberent; quâ arte sic plebem concitaverant, ut nemo eorum quibus de veritate constabat, & qui ad illorum calumnias exhorrescebant, quicquam auderet pro me mutire; præcipuè ex quo videbant quomodo cum D. Regio actum fuisset; cujus hic non refero historiam cum vobis sit notissima; Sed tamen cum expendentur omnia quæ isti Voetii affectæ & emissarii de me dicebant, ad duo potissimum capita spectare videbantur,

bantur; Unum me esse Jesuitarum Discipulum in quorum favorem scripſiſſem contra illum Reformatæ Religionis Atlantem & Propugnatozem fortiffimum Gifbertum Voetium; imò forte ab ipsis clam ſubmiſſum me fuiſſe ad ferendas diſſenſiones in his oris; Alterum nullam mihi à Voetio unquam illatam fuiſſe injuriam, nec illum ullo modo authorem extiſſe libri contra me ſcripti, ſed unicum Schoockium; qui cùm tunc quoque in veſtra Urbe forte fuiſſet, ipſum hac in parte plenè liberabat, & ſibi ſoli vel honorem vel probum illius ſcripti deberi volebat; adeoque injuriã me Voetium ideo accuſaſſe, ut haberem prætextum adverſus illum ſcribendi, atque ſic Religionem veſtram publicè traducendi.

Atque hinc factum ut putaretur, veſtram ſententiam duplici illi capiti innixam fuiſſe: nec immerito planè, ſi talis ea fuerit qualis typis excuſa repræſentatur in libello ſine authoris nomine edito ſub titulo *Nengebangen procedu- rum* &c. quem Schoockius à Juniore Voetio produiſſe aſſerit.

Ubi hæc omnia reſcivi, putavi meum eſſe rationes inire me juſtificandi, & æquitatem meæ cauſæ apud eos omnes propalandi qui fortè ſeciùs de illa opinarentur; Sed quoad primum caput, nullã laborabam difficultate in me excuſando: Cùm enim ſim eã oriundus quã ſum regione, ejuſque religionis quam profiteor, ſoli Galliæ hoſtes poterant mihi vitio vertere amicitiam cum iis quibus ſolent noſtri Reges cogitationum ſuarum penetrabilia referare, eos in Confeſſarios ſuos eligendo; Tales autem ſunt in Gallia Jeſuitæ; & ſpecialim R. P. Dinetus, cui uni quod ſcripſerim probro mihi vertitur, in Regis Confeſſarium electus fuit paulo poſt editam epiſtolam quam illi inſcripſeram. Et ſi hac non obſtante ratione, ſuperſint adhuc homines ita partiales & Zelotæ Religionis quæ in his oris obtinet, ut graviter ferant omnem communicationem cum iis qui illam ſe impugnare profitentur, id fanè turpius ipſis debet videri in Voetio, qui cum velit eſſe *Eccleſiarum Belgicarum decus & ornamentum*, ſcribit nihilominus ad Monachos quorum regula eſt Jeſuiticã auſterior, eoſque vocat Defenſores Veritatis ut ſe eorum favori inſinuet, quam in homine Gallo qui eadem ſacra cum ſuo Rege palam colit.

Sed præterea ut vobis liquidò conſtet quantoperè Voetius ſtudeat aliis imponere, & iis qui ſibi credant ea perſuadere, quæ ne ipſe quidem credit, ſi dignemini legere libellum qui inſcribitur *Septimæ Objeſtiones* &c. qui continet illam epiſtolam cujus occasione mihi Jeſuitarum amicitia objicitur, & cujus, ut ajunt, condemnationem à Vobis Voetius obtinuit, aut ſi ſaltem vobis placuerit ab aliquo qui ipſum legerit percontari qua de re agat, deprehenderis totum eum librum ſcriptum eſſe contra aliquem Jeſuitam, cujus tamen nunc amicum me eſſe glorior, nec me docuerunt Magiſtri mei irconciliabilem eſſe; Sciatis inſuper me vices plura in illum Jeſuitam tunc ſcripſiſſe quam in Voetium, de quo nonniſi obiter, diſſimulato quoque ejus nomine, loquutus fueram. Adeo ut cùm Vobis author fuiſſet iſtius libri condemnandi, videatur ſe procuratorem Jeſuitarum conſtituiſſe, & plus à Vobis in ipſorum favorem obti-  
B
quiſſe,

nuisse, quam conati sunt aut sperarint consequi à Magistratibus ullarum Urbium in quibus plurimum posse perhibentur: Et quædam honestatis ac comitatis verba quæ eo in libro posueram rapuit obtorto collo, persuasurus iis qui illa solummodo viderent nec legerent cætera, magnam mihi intercedere familiaritatem cum Jesuitis; perinde ac si quis me accusaret, non sane in Gallia, ubi tam frivolarum accusationes contemptui forent, sed in aliqua ditione in qua severissima Inquisitio obtineret, arctam me cum Voetio colere amicitiam, idque inde probaret, quod eum nominem *Celeberrimum Virum* in titulo prolixæ Epistolæ quam illi publicè inscripsi: Non dubito palam iis fore qui hanc legissent Epistolam, mendacio eum fuisse delectatum qui me sic accusasset, eosque naso suspendisse adunco quibus talia ausus esset proponere.

Quoad secundum caput, quamvis illi refutando non desissent multi testes, si eos voluissent nominare, censui nihil tutius fore mihi quam recta Schoockium aggredi, ut in locum Voetii plecteretur, si ejus crimen in se vellet derivare; aut si non tam eximie in ipsum esset charitatis, malletque aliquam excusationem mereri, totius rei veritatem retereget teneretur.

Prudentia, integritas, generositas eorum qui administrant Remp. ea in Provincia in qua degit, mihi persuaserunt illos justitiam petenti neutiquam denegaturos, quamvis nunquam antea quenquam ex illis compellare datum fuisset, eosque omnes Schoockius amicos haberet, essetque Rector Universitatis ipsorum, cum querelam meam adversus ipsum detuli: Sola enim justitia Resp. & imperia tuetur: illius gratiâ primi mortalium sylvas & speluncas reliquere ad Urbes extruendas; Ea sola est quæ confert libertatem, ut è contrario ex reorum impunitate & condemnatione innocentium nascitur licentia, quæ juxta Politicorum observationem semper fuit exitio Rebus publicis: adeoque vix dubitabam Prudentissimos Magistratus, qui Reip. bonum optant, & autoritatis suæ tuendæ sunt studiosi, sollicitè procuraturos ut jus mihi, ubi id petissem, administraretur.

Quid inde evenerit postea rescivisti, & quomodo D. D. Professores Universitatis Groninganae, quos Schoockius in iudices suos expetit, ea omni erga ipsum usi sint mansuetudine quam exoptare poterat, & nihilominus prudentiâ singulari omnem quam expectabam & legitimè desiderare poteram, satisfactionem, mihi dederint. Privatis enim non licet sanguinem, famam vel bonam petere adversariorum suorum; sufficit si eorum prospiciatur indemnitas, quantum judicis pote est; reliqua ipsos non spectant sed publicum. Quod autem potissimum mei intererat in hoc negotio, erat ut reteregetur falsitas accusationum adversus me in vestra Urbe institutarum: quare non poterant jure mihi illa denegare Acta quæ eo inserviebant, & quæ Schoockius se excusaturus apud eos deposuerat. Sed illa Acta talia sunt & tam dilucidè aperiunt Crimen G. Voetii & Collegæ sui Dematii, uti postea sum dicturus, ut crediderim, cum ea recepi, hos duos protinus se in pedes conjecturos & fugam ex vestra Urbe arrepturos fuisse quam primum illis quid Groningæ factum erat innotu-

innotuisset ; Satisque habui ea Acta Vobis mittere, nullâ petitione per me speciatim factâ, quoniam nec volebam, nec dum volo, Actorem me adversus ipsos constituere ; reputabamque vos forte antiquius habituros in causa tam publica ex proprio motu & nobili officio jus administrare, quam ad id ab alio intelligari.

Sed necdum observare potui documenta quæ tum vobis submissi ullum effectum produxissent ; Solum paucis post diebus exemplar mihi datum fuit hujusce decreti ; *De Broetschap der Stadt Directi* interdicitur inde verbis *wel scherpelyck de Boeck-druckers ende Boeck-vercoopers binnen dese Stadt ende bryghet van dien te drucken ofte te doen drucken / mits gaders te vercoopen of doen vercoopen/eenige boeckstiens of geschryften profte* contra Des Carres, *op arbitrale correctie*, Actum den 11. Junii 1645. & subscriptum erat C De Ridder.

Inde judiciallem velle vos planè sapere hoc negotium, nisi eodem tempore percepissem Voetium habere sub prælo libellum contra me, nempe Epistolam nomine Schoockii, cujus absque authoris consensu editionem absolvi curabat illi nociturus si posset, & novas in me calumnias publicaturus. Etiam postea multi libri sunt editi nomine filii sui, qui omnes adversus me, licet quoque contra alios, fuerunt ; Neque id proculdubio ibitis inficias, quandoquidem condemnatis librum ceu in Voetium editum, cujus dux tantum vel tres periodi ipsam spectabant, & reliqua scriptio tota in quandam Jesuitam erat adorbata : non audivi tamen Typographos & Bibliopolas qui illos in me libros excuderunt & vendiderunt, ullam ideo pœnam incurrisse.

Præterea Voetius & Dematius ita justitia securi fuerunt ob crimen cujus propriis suis manibus sunt convicti, ut loco fugæ quam eos statim arrepturos credideram, actionem injuriarum intenterint Schoockio, quasi eos calumniatus esset, eo quod noluit perseverare ea in malitia quam ipsum docuerant ; ac ausus fuerat veritatem enunciare coram legitimis suis iudicibus, cum de ea in iudicio postularetur, nec posset debitas Calumniatoribus pœnas vitare nisi eam retegendo : Sed cum ista lis ab initio satis fervidè utrimque contestata atque agitata fuisset, derepentè cum jam-jam ferenda esset sententia, ita flammata fuit ut audiam ab aliquot mensibus nihil ulterioris in ea fieri.

Quapropter ego, qui ejus præstolabar decisionem, sperans multum inservitorem propalandis injuriis quas pertuli, possem deinceps vocari *Desertor causæ*, prout me jam Voetii triumphum ante victoriam canentes salutant, si omni ope non conarer tandem aliquando justitiam consequi.

Quem in finem teneor hic Vobis dicere, quomodo Junior Voetius loquitur de procedendi ordine servato ut ait in vestra urbe contra me, & de eo qui servatus fuit Groningæ contra Schoockium, ut comparatione institutâ inter utrumque possitis observare, num vobis honorifica sint nec-ne quæ scribit, & ita incitatur ad eam mihi satisfactionem præstandam quam exopto.

Inter varios libros quos Junior Voetius pro suo patre emittit, pendente



Schoockiana lite, quorum numerum non scio, unus est qui inscribitur *Pietas in parentem*, in quo à quarta pagina Quaternionis J, usque ad secundam quaternionis K. (non aliter ejus libri pagina notantur) expressè loquitur de sententia quam asserit Vos pronunciale contra libros meos, & ait inter cœtera totum negotium fuisse committum Deputatis *ex ordine Senatorio & Collegio D.D. Professorum*, aut prout loquitur pag. 13. philyræ 4. *rem omnem per Deputatos Politicos & Academicos peractam esse*; Sed quanquam studiose inquisiverim quinam illi Deputati fuerint, nullius ex illis nomen adhuc rescire potui. Ait quoque eos casum de quo inquirere voluerant in eo fundasse, quod in mea ad vestrum edictum promulgatum 13. Junii responsione, vos rogaverim, quandoquidem Voetium constituebatis in reatu & de vita ipsius quaestionem instituere volebatis, dignaremur inter cœtera perquirere num conscius esset calumniarum quæ extant in libro nomine Schoockii edito contra me; Unde vult credi ipsos supposuisse quod affirmassem Voetium esse authorem illius libri; licet certissimum sit nihil me aliud expressè dixisse, quam ejus esse de eo libro respondere, ut qui pro se & ipso conscio editus esset; adeoque mihi apud eos Accusatoris & Actoris partes fuisse delatas, G. Voetio rei; licet eadem in responsione cui eorum *αἰτιώμενον* innitebantur, ut ait, expressissimè declaraverim, nolle me Actorem in judicio esse contra Voetium, nec ipsum in jus coram Vobis vocare, nullamque Vobis jurisdictionem in me competere, imò me de injuria protefctari, si ullam velletis usurpare. Afirmat præterea patrem suum nunquam auditum fuisse in eo negotio, nec illud unquam sollicitasse vel procurasse. Nunquam (inquit) *Amplissimus Senatus parentem super hoc negotio interrogavit, nec parens illi quicquam respondit, nec unquam judicium Senatûs de famosis Cartesi libellis sollicitavit aut procuravit*: Et quaestionem planè immutat: nam in vestra promulgatione 13. Junii declarastis si vera essent quæ de Voetio scripseram, ipsum fore planè indignum munerum quæ sustinet in vestra Urbe, imò illi summoperè noxium, ideoque vos velle rem habere cordi, & in veritatem inquirere; Quod non aliam admittit interpretationem, nisi velle vos inquirere, num illa quæ inter cœtera de illo scripta, Vobis videbantur eum reddere indignum muneribus suis, ac illi in Crimen imputanda, vera essent. Sed istius generis non est res illa quam unicam junior Voetius dicit pag. 6. quaternionis I. suos Deputatos examinasse, num Pater suus esset author libri qui nomen Schoockii præfert; Etenim nunquam eum librum criminis loco habuistis ejus vel eorum respectu qui illum composuerunt; prout ex eo liquet quod cum Schoockius palam se illius authorem dum esset in vestra Urbre profitebatur, ejusque invidiam in se derivaret, sublevandi Voetii causa, nullam ideo censuram à Vobis Vestris-ve Deputatis incurrerit, & etiamnum junior Voetius in omnibus suis scriptis impunè laudat & defendit nomine patris sui pessima quæque illius libri: adeo ut quod cum antea declarassetis velle vos inquirere, num Voetius reus esset Criminum quæ illi imposueram, asserit suos Deputatos de eo solum inquisivisse quod nec ipse nec illi crimini ducunt, & ira

eos me condemnasse quod supposuerint accusatum à me Voetium ejus rei, propter quam, etsi illius author fuisset, condemnandus non veniebat; licet verissimum sit ipsum ei culpæ affinem fuisse, & fallissimum me unquam eum illius accusasse; nam declaraveram nolle me Actoris partes contra ipsum suscipere, nec aliud in meis scriptis asserueram quam eum librum pro eo factum fuisse ipso conscio, quod nullatenus negat. Præterea omnes quas perquisitas asserit probationes, aliæ non sunt, quam quod examinatæ fuerint rationes, quas in meo libro posueram probaturus suum patrem authorem esse scripti illius quod præfert nomen Schoockii, nec sufficientes deprehensæ sint. Sed non addit, me non affirmasse patrem suum illius libri authorem extitisse, & è contrario expressè dixisse pag. 261. editionis latinæ mei libri, nolle me id lectoribus persuadere; sed tantum pro illo factum fuisse eo conscio & consentiente; Quod & ipse agnoscit, & ait nunquam à patre suo negatum fuisse. Per quam ergo regulam non solum vult persuadere me obligatum fuisse ad aliud probandum quam quod scripseram; sed quod magis mirum est, supponere me fuisse obligatum sat rationum in meo libro ponere ad id probandum quod non affirmabam verum esse? Non addit quoque responso meo ad promulgationem vestram 13. Junii, (quod ait suis Deputatis fuisse in Cynosuram judicii ab ipsis instituendi,) expressè significatum fuisse quod si quid in meis scriptis alicujus momenti esset, quod tamen non satis probatum videretur; offerrem id omne dilucidius probare si rogarer: Unde sequitur eos non potuisse *methodo à me ibi propositæ insistere*, ut ait voluisse eos facere, p. 6. *quater. l. lin. 9.* nisi rogando num aliæ probationes mihi suppeterent, præter eas quas dederam. Tandem ait patrem suum *ad abundantiore[m] cautelam* & cum opus non foret, uni ex Deputatis dedisse quinque hominum declarationes sive testimonia; Nempe primum Schoockii, cui quantum deberetur fidei, constitit postea, ex eo quod coram suis iudicibus Groningæ declaravit quomodo sollicitatus fuerit à Voetio, Dematio & Waterlatio ad illud testimonium perhibendum, & sepius exortari, *ut in forma de specialibus interrogaretur, juxta conscientiam de illis responsurus*. Alterum Typographi, qui est Voetijs addictissimus, nec ita pridem adhuc eorum *Tribunal iniquum* impressit; adeo ut si in ipsorum gratiam nihil falsi deposuit, quod nequeo dicere, cum ejus testimonium non viderim, saltem credibile est nihil eum declarasse quam quod ipsis placuit & cœtera reticuisse; quandoquidem ipsi fuere, non iudices, qui hoc testimonium ab eo conscribi curarunt. Tertium Waterlatii, quem Schoockius affirmat à Voetio & Dematio adhibitum ad se corrupendum, ut sic in ipso corrupendo allaborandum non fuerit: ut taceam hominem esse tam reverendum ut licet sit *intimæ admissionis apud Voetium*, Schoockius tamen se honestiorem putat quam ut velit quicquam sibi cum illo esse negotii: Quartum est illius qui se profiretur authorem nescio cujus libelli qui inscribitur *Retorsio Calumniarum* &c. Sed is nihil aliud potuit declarare nisi se authorem esse illius libri non Voetium, cui nec eum expressè attribui; solum monui plures esse

qui id suspicarentur; nec mihi crimini verti posset, quod eum librum ipsi attribuissem, quandoquidem nec ipse credit illum crimen admissum fuisse ab ejus Scriptore, eumque in hunc usque diem laudat & tuetur quantum potest. Ultimum est nescio cujus studiosi, qui etiam nihil aliud potuit testari quam se authorem extitisse quorundam Carminum famosorum in vestra Academia distributorum in ipsius favorem & ipso presente, dum quaedam disputationes haberentur; Sed nunquam eum accusavi quod malus esset Poëta: solum dixi eum procurasse aut saltem permisisse ut illa carmina fierent, quod negari non potest: Adhæc tam parum est Criminis, Voëtii iudicibus, in carminibus ejusmodi, ut filius non ita pridem alia curarit in suis thelibus edenda, ejusdem Studiosi, ejusdem commatis, & æquè injuriosa ac præcedentia: Quin eo honore vestram afficit Academiam, ut de quodam quem ex numero vestrorum Professorum esse constat, mei simiam esse dicat, quod his verbis expressit, *Simia mendacis Galli, mendacior ipse*; Et palam est, hæc duo ultima testimonia tribus præcedentibus, numeri potius quam ponderis gratiâ addita fuisse, & quò posset Voëtius dicere sententiam non ideo tantum in me latam fuisse, quod ei tribuerim librum quem non fecit, sed quod plures tales illi tribuere voluerim; ut sic, qui nolent causæ meæ justitiam quoad unumquemque ex his libris, possent existimare me adhuc alios ipsi imputasse, in quo peccaverim, juxta regulam quam ipse & filius ejus solent observare, 126. licet eam exprobrent alius, *Tribu. iniq. p. Dolus versatur in generalibus*; At si eorum Deputati, soli meæ ut ajunt responsioni ad vestram promulgationem innixi sunt, de solo demum libro qui Schoockii nomen præfert potuerunt quæstionem instituere: quia ibi de hoc solo loquutus fueram: ac certum est, me non affirmasse G. Voëtium authorem fuisse vel illius libri, vel alterius alicujus cui nomen suum non præscripserit; nec de quoquam id suspicatum fuisse, quem revera suum non reddiderit eum laudando & defendendo, ut loquitur ipse filius in sua *Pietate in par. Phil. B. p. 14. lin. 3.*

Videtis itaque, Amplissimi Viri, quod juxta descriptionem à Juniore Voëtio factam vestræ sententiæ, (in quo illi fidem nolim adhibere, nisi ipsimet id volueritis) concinnata fuit ab ejusmodi Deputatis qui partium nullam nullumque testem audiverant: Qui actorem reddiderunt eum quem condemnarunt, licet declarasse nolle se actorem constituere, nec alias vestræ jurisdictioni obnoxius esset; Qui id fecerunt, eo non præmonito, & cum nequidem ab ipso sciri voluerint quinam essent, licet se obtulisset ad alias dandas probationes quam quæ scriptæ fuerant, si à se peterentur; Qui mutarunt statum quæstionis super qua fundabatur prima vestra promulgatio, & rem tantum unam examinarunt, quam supposuerunt ab accusatore scriptam, licet eam non scripserit, quam declararunt esse falsam, licet vera sit; quamque instar criminis non considerarunt ejus respectu quem accusatum illius fuisse supponebant; Qui tandem non contenti absoluisse reum, judicando accusationem falsam fuisse, condemnarunt in super eum quem ipsi accusatorem fecerant. Attamen

id à Vobis velim hîc observari, ex nullis sequi legibus condemnandum esse accusatorem eo quod reus absolvatur, nisi probari possit accusationem susceptam fuisse *animo calumniandi*, & cum nulla subesset ratio credendi quod dicebat. Adeo ut quamvis falsum fuisset Voetium extitisse authorem præcipuarum calumniarum illius libri, quod tamen verum erat, & eum istius rei accusasse quod non feceram, & iudicasset illarum calumniarum authorem esse penâ dignum, quod non præliterunt, & obnoxius fuisset ipsorum jurisdictioni, & tandem utramque partem & testes audivissent, ac omnes formas legitimi processus observassent, non tamen justam ideo habuissent causam me condemnandi, eo quod præsumptiones, cuilibet notissimæ, sufficerent ad probandum quod eum non accusassem *animo calumniandi*, & iusta mihi ratio id faciendi fuisset.

Dicitur fortè, me non fuisse condemnatum quod ipsum accusaverim hujus libri, sed quod plura alia de ipso scripserim merito plectenda si vera fuissent, quæ cum pro falsis habitæ sint, id solum inquisitum, num fecisset librum contra me editum, ut si author illius extitisset, potuissent excusari à recriminatione, ut pote prior ab ipso petitus injuriis. At si id foret, debuissent ergo enotare quasdam saltem voculas ex meis scriptis, quibus se læsum putaret, & me præmonere, ut si necdum sufficienter omnia probaveram alias probationes adducere possem. Id autem factum non fuit; Et possum affirmare, duo illa scripta quæ à Vobis damnata dicuntur, nihil continere, non solum quod non sit verissimum, sed etiam quod si falsum esset actioni injuriarum instituendæ queat sufficere; uno tantum, in epistola ad Cel. Vir. p. 136., excepto, quod eum Calumniatorem & mendacem appellavi. Sed id tam luculenter probavi, illo ipso in loco ubi scriptum est, ut querelam de eo instituere non valde illi utile fuerit. Et si testes dandi fuissent, suppetebant ad manum non unus vel duo, sed usque ad tredecim, omnes vestræ Religionis & ex Primoribus Urbis Sylvæducentis qui testantur se ab ipso Calumniis discissos fuisse, suumque testimonium publicum fecerunt curando illud typis exscribi. *Mar. epist. Apol. pag. 45. & in ult. pat. pag. 113.* Id quoque possem affirmare, quod licet Voetii plures emisserint libellos post alterum meum scriptum quod inscribitur *Epistola ad Celeberrimum Virum* &c. quibus illud conantur refutare, nihil tamen potuerint distinctè referre in quo se læsos pertendant, nisi quod dixerim Gilbertum Voetium reum esse libri Schoockiani: Et quod, quo persuadeant iis qui Belgicè tantum illud essent lecturi, multas in latina editione extare injurias quæ interpretes Belga omiserit, observarint in *Angev. Procéd. scurrilisa dicteria* non benè reddita fuisse *Poetische schimpfworden*; Sed præterea quod est mendum typothetæ qui posuit *poetische* loco *poetsghe*, in eo queruntur se potius non satis quam nimis vapulasse.

Ita Amplissimi Domini potestis animadvertere illos gloriari quod à Vobis obtinuerint condemnationem ejusmodi scripti, in quo nequidem ipsi ullam justæ querelæ causam possunt obtinere. Et ut sciatis quod cum describunt

istius condemnationis circumstantias, dicendo G. Voetium eam nec sollicitasse nec procurasse, eum à vestris Deputatis nunquam auditum fuisse, ipsummet uni ex illis testium suorum, qui nec ipsi auditi fuerunt, declarationes exhibuisse, & plura istius generis, id non faciunt Honoris vestri gratiâ, aut persuasuri suam innocentiam vel meum crimen iis qui sua scripta legent (constat enim me conveniendum fuisse coram iudicibus meis legitimis si vel in levissima culpa fuissèm, nec defuturam vobis omnibus auctoritatem ad justitiam ab ipsis consequendam, si causam ipsius suscipere voluissetis, misso tam extraordinario agendi modo) sed potius ut gloriantur de potestate quâ pollent apud Vos, & se tam formidabiles reddant vestris subditis, quam norunt se in posterum contemptibiles residuo orbi futuros, postquam sua Crimina innotuerunt. Id quoque dignemini observare quod in eodem libro in quibus Junior Voetius hæc omnia scribit de Vobis, & adhuc in alio inscripto *Tribunal iniquum* quem postea emisit, non alio fine quam calumniandi D. D. Groninganos ob jus mihi administratum, impudenter & absque ulla ratione eadem ipsis exprobrat, quæ dicit à Vobis facta fuisse, & inde occasionem sumit eos traducendi & plenis conviciorum odiosissimorum plaustris in illos invendi.

Duo vel tria proferam exempla, ex illo *Tribunali iniquo* desumpta; primum extat in Epistola p. 9. ubi dicit, *Licebit protestari contra iniquam illorum sententiam ac iudicium in quo nihil est iudicii, imo in quo tot fere nullitates, quot ab imperitissimis rerum juridicarum committi possunt; quales sunt iudicis incompetencia, allegationum falsitates, neglectæ citationes partium, litis contestatio & plura alia quæ in meo libro reperiuntur.* Ita ei est sententia iniqua & iudicium sine iudicio, quod supponat iudicem fuisse incompetentem, allegationes falsas, neglectas citationes partium, & omissam litis contestationem. Quæ tamen omnia ab ipso vestræ quoque in me sententiæ tribui paulo ante ostendi. Et libri pag. 15. has sententias contra eos pronunciat; *Quicumque nocentem justificat ac innocentem condemnat, uterque Deo abominatio; & supplicii ille dignus qui cum debuit vindicare oppressum opprimere reperitur.* Et pag. 31. 32. & 33. nominat ac describit in particulari quemlibet ex iudicibus, de illis pessima quæque fingendo vel recitando solius Schoockii fide (qui pravas istas & falsas de Collegis suis innocentibus suspiciones ab ipsius Patre jam diu ante instillatas sibi fuisse profitetur) ut eos suspectos reddere conetur. Non credo cuiquam vestrum aut Deputatorum vestrorum gratum fore ita describi, & tædiosus fortè vobis essem, si pluribus hinc insisterem ostensurus quam vos offendat hæc omnia scribendo.

Sed teneor Vobis indicare, quantoperè D. D. Groninganos offendat iniquitate calumniarum suarum. Ac primum quoad incompetentiam quam illis exprobrat, omni specie probabilitatis destituitur. Mea etenim causa directa & commendata fuit ab Excell. D. Legato Ordinibus illius Provinciæ in qua Schoockius, de quo querebar, agit Professore; & decisa fuit à cœteris Pro-

ris Professoribus, qui juxta Academiæ suæ privilegia, judices ejus legitimi erant; & qui adeo non egerunt in eo quâ Profellores, sed quâ Magistratus. Adhæc eorum judicium revisum, examinatum & confirmatum fuit à D. D. Curatoribus ejusd. Academiæ qui sunt ex ordinibus Provinciæ; Et tamen Junior Voetius integrum librum audet contra hoc judicium scribere, etiam sub titulo ita odiofo, ut eum inscribat *Tribunal Iniquum*, & sic vestræ confidit protectioni, ut alterius integræ Provinciæ majestatem lædere non metuat.

Dicit fortè etiam me ausum fuisse scribere adversus judicium Academiæ vestræ: Sed nulla potest comparatio institui inter utrumque: nam in illo prætenso judicio Academiæ vestræ nec de Civili nec de Criminali agebatur; sed solum de Philosophia, de qua confido plures existimare me esse judicem equè competentem, ne magis dicam, ac universam vestram Academiæ: & tantum est discriminis inter judicium quod impugnat Junior Voetius & illud quod impugnavi, quantum est inter vera prælia quæ fiunt in bello & in quibus subest vitæ periculum, & theatrales pugnas, aut disputationes theticas quæ fiunt in vestra Academia, in quibus nulla fit effusio sanguinis, & citra omnem iracundiam, si qui disputant honesti & probi fuerint: Inauditum est Magistratus se immiscuisse istius modi Disputationibus quæ inter litteratos de rebus Philosophicis oriuntur: ut è contrario nunquam fando audiverim quenquam ita insolenter & licenter impugnasse, cum evidentibus mendaciis & calumniis intolerandis, judicium factum à Judicibus legitimis qui amici fuerint & foederati eorum quibus est obnoxius, quin ex rigore juris exemplum in eum statutum fuerit.

Nequit autem Junior Voetius excusari à contumeliis quibus D. D. Groninganos proscindit, eo quod pater suus eorum jurisdictioni non subest. Etenim pater ipse nec Actor nec Reus fuit in eo negotio; nihilque omninò contra illum judicatum fuit; Solum admittæ sunt depositiones Schoockii, ut sit in omnibus processibus Criminalibus, cum tales depositiones excusando crimini ejus qui accusatur inservire possunt; v. g. si querela adversus aliquem à Creditore instituat quod nummos adulterinos sibi in solum expensis tulerit & hic dicat se excusaturus nescivisse nummos esse adulterinos, nec à se cusos fuisse, sed ab alio sibi datos; si alter ille non fuerit ejusdem jurisdictionis, non est in judicium potestate eum citare & processum ejus instituire; sed non possunt ideo non admittere depositiones quæ fiunt contra eum, & earum veritatem in tantum expendere quantum inferuit illi liberando de quo judicare debent; & si probationes ita dilucidas continent (v. g. si proferret ipsius falsi monetarii manu literas & descriptam specificationem singulorum istorum nummorum quos ad illud debitum exsolvendum miserit, ne Creditor ultra *conqueri* posset se esse ei debitorem) ut teneantur ipsum absolvere, erunt quoque illi communiandæ qui adulterinos nummos recepit, ut recursum suum habeat contra fabricum eorum: Falsæ illi monetæ jure conferas convicia & calumnias quæ sunt in libro Schoockii; & quoniam de ipso questus sum propter illa convicia, se

excusaturus dixit se eorum fabrum non existisse, sed G. Voetium, nec scivisse, cum me non nosset, quod falsa essent.

Debuerunt verò Judices ipsius expendere priusquam eum vel condemnarent, vel absoluerent, num verè loqueretur; Et talia ipsis ad id consignavit Acta, ut nequirent jus quod petieram mihi administrare, nisi illa ad me mittendo.

Nec potest etiam queri Junior Voetius litem non diu contestatam fuisse, me uno duntaxat epistolio causam meam egisse, absque Procuratore & Advocato, nec omnes eos ritus observatos fuisse quos vitiligatio excogitavit ad lites consecrandas immortalitati. Hæ enim formalitates non requiruntur nisi ubi jus in dubio versatur; & moris est in omnibus Curis, ut cum partium altera tam malam habet causam, ut id ex ipsius ore patefcat, de plano judicetur, alterius replicis non auditis. Ita Schoockio indultum est quantum spatii & otii petiit ad consulendum de suo negotio & se defendendum; de nulla hac in parte injuria queritur; nec etiam potest dicere judicum suorum religionem præoccupatam fuisse vel advocatorum meorum eloquentia, vel subtilitate procuratorum: Sola juris mei evidentia causam meam egit; Sed judices tam æquifere meaque petitio tam moderata & justa, ut eam totam mihi concesserint.

Nec plus justæ causæ subest juniore Voetio querendi de hoc judicio eo quod unam aut alteram voculam quæ minus sapit ipsius palato contineat, nempe *SCELERATA MANUS*, & *SCENÆ SERVIRE*; aut quod unus ex Judicibus mihi sit amicus, non suo patri: Nam quoad vocabula quæ dura ipsi videntur, molliora adhibere non poterant probi Judices & qui vitia detestantur, ad crimen de quo agebatur exprimendum; Præterea quod hæ voces non aliter ponuntur quam ad exprimendam depositionem Schoockii, qui, uti verosimile est, multis acerbioribus respectu Voetii usus fuerat, ut se liberaret eum taxando. Et sanè eorum iniquitati exprimendæ, qui se inficio tales infarserant suo libro Calumnias ex quibus periculosum reatum posset subire, quid mollius potuisset dicere, nemine nominato, quam eas suo scripto insertas fuisse à *sceleratâ manu*? Sic ergo, quandoquidem id ad se rapit G. Voetius, solo suo crimine offenditur, non verò ab iis qui scapham scapham dixere. Quid etiam mollius, quam comedæ conferre per voculas *scenæ servire*, non quidem vestrum judicium, ut conatur suadere Voetius vos suis rixis impliciturus & contra Groninganos ut quondam contra me instigaturus, sed malas artes quibus usus est ad falsa fabricanda testimonia, & omnia peragenda quæ egisse debuit, ad eam vestram extorquendam sententiam quam obtinuisse dicitur, sic ut possit postea gloriari se illam nec sollicitasse nec procurasse?

Quoad amicitiam quam pertendit mihi cum uno ex judicibus intercedere in eo mihi injurius est, quod putet unum tantum ex illis mihi amicum esse; omnes enim eos eo loco habeo, prout nemo eorum est viceversa quem magni

non faciam : Sed amicitia nostra non ei est similis quam G. Voetius contraxit cum Schoockio, Dematio, Waterlatio & similibus, quos pedetentim suis rixis implicat & obligat ad sui Defensionem, eos complices suorum criminum faciendo, ac tanquam hostes crudelissimos infectando, sicubi aliqua pœnitudo se duci testentur; uti patuit exemplo Schoockii, quem ideo in jus vocaverat; at postquam reciprocè sibi interminati fuerant Secretorum suorum revelationem, videntur, dum metuunt utrinque ne hæc dispalescant mysteria, in gratiam simul rediisse. Talia inter me & D. D. P. P. Groninganos nulla subsunt secreta; horum benevolentia nullo nititur interesse, nulla etiam conversatione; nonnisi enim bis eum sum alloquutus cujus speciatim amicitia mihi exprobratur; neque ad eum scripsi durante hoc negotio, quod significasset diu ante nolle se illi immiscere. Odium etiam quo junior Voetius dicit eum ferri in suum parentem ita justum est & G. Voetius sic illud commeruit ut id negare nolim. Is tamen quem ita pro adversario sumit, tam sæpè optavit redire cum ipso in gratiam, ut satis ostenderit non se personam sed vitia Voetii odisse. Ac credo eodem flagrasse odio cœteros omnes, neminemque eorum fuisse qui non fuerit detestatus & aversatus crimen Voetii, ubi visa sunt Acta quæ produxit Schoockius: Ejusmodi enim illa sunt ut vel ipsomet filio teste (Tribunalis iniqui p. 2. præfat.) crediderint plurimi iis visis, non posse amplius vel ipsum vel Dematium honestorum & proborum virorum censu venire. Sed cum is favor idque odium ex solo Zelo Justitiæ pependerit, quo majores fuerunt & causam meam favorabiliorem, Voetianam magis odiosam, reddiderunt iis quibus innotuere, eo amplius judicii sui æquitatem comprobant. Ut ut sit nec amor nec odium judicum, G. Voetium & Dematium reos fecere, sed acta ipsorum propriâ manu scripta, & quæ hæcenus non denegarunt, eos palam convincunt quod studuerint corrumpere Schoockium & de facto corruerint, ad falsum testimonium contra me perhibendum. Nam primò ut constet quid voluerit Voetius Schoockium in judicio affirmare, sufficit animadvertere, quod in illorum Actorum principali, (quod continet formulam testimonii, manu sua scriptam & quam misit ad Schoockium ut eam sequeretur) expressè vellet hunc asserere, se motu proprio & sponte sua contra me scripsisse, suumque librum peregrisse partim Ultrajecti partim Groningæ, & quidem solum, ita ut nec D. Voetius nec quisquam alius ejus author sive in totum sive ex parte fuerit, aut quod ad materiam aut quod ad dispositionem, aut quod ad stylum, adeoque negare ullam ad id materiam Voetium sibi suppeditasse. Cui addi posset ejusdem Voetii epistola ad Schoockium scripta 21. Jan. 1645. quæ Groningæ edita fuit in *Bonæ fidei sacro* pag. 35. cujus hæc sunt verba; *Summa huc redit, Te ex te consilium coepisse & statuisse* (nempe contra me scribendi) *teque opus illud quoad materiam, formam, methodum, stylum, inchoasse, absoluisse, chartas & schedas à me tibi nullas suppeditatas, nec ullam vel minimam pagellam præformatam, quam in describendo tuam feceris &c.*

Deinde ut constet ista ( quæ duobus capitibus absolvuntur, primum est



Schoockium contra me scripſiſſe proprio ſuo motu nec incitatum à Voetio; alterum, nullam ad id Schoockio ſuppeditaſſe materiam) eſſe falſiſſima, ſufficit videre aliam Voetii epistolam quæ etiam extat in *Bonæ fidei Sacro*, p. 28. ſcriptam 3. Nonas Junii 1642. Nam à limine hæc habet; *Non pigebit denuo te hortari ut in diſputationibus contra Scepticos pergas, & quidem quam primum, ſequi ſeratis tantisper reliquis tuis meditationibus. Erit hæc pulcherrima occaſio furioſi & ventofi iſtius promiſſoris R. des Cartes hiatus obſtruere; Appendix illa ad meditationes primæ Philoſophiæ edita Amſtelredami in primis te ad operis hujus delineationem exſtimulare debet. Eſt illa tot furioſis & contradicentibus mendaciis, ac calumniis in hanc Academiam noſtram meamque in primis Profeſſionem delibuta, ut ferream quorumvis lætorum patientiam vincat. Ita ſcilicet loquitur de innocentiffimo ſcripto in quo nihil de ipſo dixeram, quod, imo duplo majus, meritum non fuiſſet: Et hoc evidenter demonſtrat Voetium exſtimulaſſe Schoockium, ut contra me ſcriberet; utitur enim etiam verbis hortari & exſtimulare; Et pluſquam ſemel eum incitaſſe, dicit enim denuo te hortari: Et id feciſſe occaſione *Appendicis ad Meditationes primæ Philoſophiæ*, cui ſcripto revera liber Schoockii oppoſitus fuit; Scio equidem eum ad hæc reſpondere, ſe Schoockium hac epistolâ hortari ad continuandas theſes contra Scepticos, meaque in illis opiniones impugnandas: Sed cum nondum adinventus eſſet titulus libri quem poſtea Schoockius in me edidit, non potuiſſet expreſſius Schoockium ad eum ſcribendum adhortari, quam illum exſtimulando ut me impugnaret; & quamvis tunc Theſium aut Diſputationum nomen imponeret ei ſcripto quod in me volebat adornari, & cujus poſtea titulum ipſe excogitavit, ut declarat Schoockius, revera tamen idem futurus erat liber; nec enim quæſtio eſt de nomine ſed de re, ſcil. de calumniis de quibus queror: Et quo hæc dilucidius explicem, obſervetis quæſo tria diverſa ſcripta hac occaſione emiſſa fuiſſe pro Voetio, nempe librum qui inſcribitur *Admiranda Methodus ſive Philoſophia Cartefiana*, nihilque aliud eſt quam cento conviciorum contra me, ſub prætextu meas opiniones impugnandi; Dein præſationem ejuſdem libri cum ſuis paralipomenis, in quibus expreſſe conatur author iis reſpondere quæ de Voetio ſcripſeram: & tandem narrationem Hiſtoricam quæ prodiit Academiæ veſtræ nomine, in qua agitur de iis quæ reſpectu D. Regii contigerunt. Clarè autem apparet ex Epistola 2. Junii 1642: conſilium Voetio fuiſſe me tribus his modis impugnandi: Nam præter primum ad quem hortatur Schoockium, verbis quæ modò citavi, en ut loquitur de duobus aliis. *De iis quæ Academiam noſtram tangunt videbunt DD. Profeſſores, nec patientur cum conqueri nos eſſe ipſi debitores: De iis quæ in me immerentem congerit maledictis retundendis etiamnum deliberamus: ut ſilentio litemus nemo ex Collegis quod ſciam conſulit, ſed per quem aut quâ ratione reſpondendum ſit ενδούη μάλα θυμῶς. Sunt qui me, ſunt qui filium, ſunt qui te deſignant. Sed de hoc ampliamus: Interim quæ ad veritatem hiſtoriæ pertinent conſignabuntur, etiam ubi opus teſtimoniis confirmabuntur.* Ita jam tum in ſuas partes ſuos D. D. Profeſſores pertrahere:*

here fatagebat; Et quantum ad id quod ipsum privatim spectabat, illud ipsum scilicet quod præfatione libri Schoockiani continetur, satis decreverat non tacere; ut silentio, inquit, *libemus nemo consulit*. Sed adhuc fluctuabat numquæ scripturus erat ipse, aut ab aliis procuraturus ad hanc rem, emittenda forent suo, an filii, an Schoockii nomine: Sed de hoc, ait, *ampliamus*: Quod propriè est dicere alios quidem suadere, ut vel ipse, vel filius scriberet, sed se magis cupere id fieri à Schoockio; Et post hæc voluit Schoockium in iudicio declarare quod scripsisset *motu proprio* nec à Voetio incitatus?

Eriam ex eadem epistola patet ei Voetium tantum materiæ suppeditasse quantum potuit: Nam paullo post, sic de meis opinionibus loquitur: *Operæ pretium feceris si omnia istius farinae paradoxa exceperis & cum antiquorum Scepticis aliisque hereticis (apud Augustinum & Epiphanium de hæresibus & Gennadium) teratologis comparata refutaris, 1. sacris literis; 2. rationibus tum directis tum ducentibus ad absurdum & hominem in contradictionem adigentibus; 3. consensu Patrum; 4. consensu antiquorum Philosophorum, Scholasticorum & recentium Theologorum ac Philosophorum, ut appareat esse communem causam Christianisimæ, & omnium Scholarum: Hoc autem ubique notandum, nihil novieum producere sive quid sani sive quid insani ostendet &c.* Atque Schoockii liber ex bellulis hæc materiæ conflatus est.

Id ipsum quod dixi potest insuper intelligi ex alia Voetii epistola scripta quinto post Mense, nempe 25. Nov. 1642. cum Schoockii liber esset sub prælo, in qua hæc verba extant: *Particulares opiniones Cavtesii ventilare alterius est operis & instituti; Tu modo remitte nobis nec verba nec promissa, sed excerpta illa & chartas quas tecum hinc abstulisti: Lacuna si quæ sit in generali sciographia hujus methodi nos dabimus operam ut hic suppleamus, nisi tu supleveris: Et hæc abundè sufficient hæc vice: Particulares disputationes non curamus. Quid ergo? ut ingeniosè loquitur D Maresius, *Ultima pat. pag. 413. Mera convicia*. Et sic constat totius libri edendi consilium ex voluntate Schoockii non pependisse, qui optasset meas opiniones particulatim impugnare, quod longè honestius fuisset; sed ex arbitrio Voetii qui solum voluit generatim in me scribi, & omnes locos communes suarum invektivarum explicari ad me traducendum; adeoque Voetium authorem ejus primarium merito haberi.*

Si hæc probationes, quæ constant Actis manu Voetii scriptis & quæ non denegat, illi convincendè nondum sufficiant, nec mille testes ad id sufficerent: Sed præterea declaravit Schoockius se adhuc assertare ideam præfationis scriptam manu Voetii: & præfatio illa continet ultra 60. paginas, estque totius libri portio maximè injuriosa; Idem declaravit de comparatione cum Vanino; quæ ipsis unicum est fundamentum me Atheismi insimulandi; nempe quod scripserim contra Atheos, & quod Vaninus contra eosdem scribere finxisset, Atheus ipse licet; unde concludunt me clanculum Atheismum docere: Quin expressè Schoockius declaravit verba illa affirmantia *quod subdole a quo admodum occultè Atheismi venenum aliis affrico*, esse ab alia manu quam sua: id est à *scelerata illa manu* de qua supra loquutus est: At præcipuè questus sum de illis

de illis verbis, quod atrocissimam & omni supplicio dignam contineant Calumniam, & juxta leges *certum crimen* sit determinandum ei qui queritur in judicio, non verò debeat *vagari in incertum* ut fit à Voetio, cum ait se calumniis meis impetum fuisse, etsi necdum minimam ostenderit voculam quã eum præter jus & fas læserim. Præterea Paralipomena præfationi addita, & quorum ultima pericopa sola plus habet ferè acerbitatis & veneni quam residuum opus, ab initio Schoockius reprobavit, Voetius nunquam: In imensum excreveret mea oratio, si deberem huc congerere omnia argumenta quæ evincunt falsum esse testimonium quod suggestit sive præscripsit: Sed quæ vos observate, realia esse illa omnia quæ sic proposui, neque pendere ex relatione Schoockii; Nam quoad præfationis ideam & alias schedas non editas quas dicit esse penes se, nisi revera eas haberet, fervidius suam litem contra ipsum Voetium fuisset persecutus: Quod ostendit quam impudens sit junioris Voetij calumnia dum exprobrat D. D. Groninganis ipsos unius testimonio nixos judicasse; quod maximè urget: Licet enim ad Schoockii verba non attendissent, sat præterea probationum habuere: Et tamen evidens est declarationem ipsius Groningæ factam, longè plus fidei mereri eam quam ante fecerat Ultrajecti. Nam in Ultrajectina, præterea quod ipsi suggesta fuerat, nihil aliud deponebat quam quod putabat è re sua esse, videlicet se autorem esse libri cui nomen suum jam præscripserat, nec erat coram iudicibus, nec metuebat reprehendi, licet non foret verum quod declarabat; eamque duntaxat scriptam exhibebat amico suo, quem satis potentem arbitrabatur ad se extricandum, etsi falsitas illius dispalesceret. At Groningæ id deposuit quod resciri ipsum pudebat, & summoperè displiciturum erat summis suis amicis; nec illud deposuit nisi cum aliquo animi tædio, & coram iudicibus: atque sic statui potest solâ justitiæ reverentiâ & metu pœnæ, si mentiretur & criminis alieni onus in se derivaret, eum adactum fuisse ad ea profitenda quæ professus est. Quin declaravit confessurum se eadem fuisse Ultrajecti, si seriò & in judicio de re tota interrogatus fuisset. Et ferè semper contingit cum examinatur reus vel testis, cujus ullo modo interest veritatem celari, ut depositio quam facit in judicio adversetur iis quæ extrajudicialiter dixit, nec tamen ideo quisquam potest fidem ei derogare.

Sed neque satis est probasse falsum fuisse testimonium quod Voetius præscripsit Schoockio; non se credet convictum nisi probetur insuper quod eum ad tale testimonium perhibendum importunè admodum sollicitaverit. Quare Vos expendere velim, non solum id eum petiisse à Schoockio, sed revera quod pejus est expressissimè illi præcepisse; Nam hæc verba posuit ad calcem formulæ quam præscribebat; *Stylum facies tuum ubi opus fuerit; interim testimonii circumspectè servatâ ubique, quantum per latinitatem fieri poterit, imprimis ubi subvirgula.* Atque sic volebat esse vocem Jacobi & manus Esavi, stylum Schoockii & mendacia Voetii: Stylum mutari præcipiebat, sed exactè retineri sensum omnium quæ præscribebat: præsertim earum vocum sub quibus

bus lineas duxerat ; atqui subvirgulata erant omnia illa quæ superiùs retuli. Qui norunt Voetium non nesciunt quam importunus sit mos ille rogandi aut præcipiendi, præcipuè eorum respectu quos habet inferiores vel obstrictos, qualis Schoockius erat. Hoc ipsa comprobavit experientia, eo quod eum traxit in jus, quoniam non perseveravit in illo testimonio.

Adhæc, nonne Voetio tribui debent omnes Waterlatii itiones ac negotiationes, & quicquid à Dematio factum fuit, ut paulatim Schoockius induceretur ad concipiendum suum testimonium eâ formulâ quæ ipsi præscripta fuerat ? Res enim illos duos non spectabat, nisi quatenus erant amici Voetio. Et tamen affirmat Schoockius sæpiùs ad se ventitasse Waterlatium ea de causa, & sibi misisse Groningam formulam testimonii quod Voetius expetebat, sed aliud se submisisse magis conforme veritati, cum illi per conscientiam subscribere non posset. Revera ex iis quæ postea sunt sequuta, cognosci potest in testimonio à Schoockio submissò omiſsa fuisse verba, quæ continebant præcipuum mendacium ; nempe *Et quidem solum, ita ut nec Voetius, nec quisquam alius ejus author sive in totum sive ex parte fuerit, quoad materiam ;* & alia quædam in eorum locum reposita ab eo fuisse : Et quoad *to motu proprio* & ferè reliqua omnia, conatum fuisse elabi per æquivocationem, reponendo *Methodum* ubicunque Voetius *librum* posuerat ; sic ut per *Methodum* nihil aliud vellet significari quam ordinem capitum & stylum, cujus volebat author haberi, nihilque ultra affirmare de conviciis & materia, uti postea declaravit. Nec istam æquivocationem curabat Voetius ; cùm enim liber inscriberetur *Admiranda Methodus*, non dubitabat omnes qui lecturi essent hoc testimonium per *Methodum* totum librum esse intellecturos : Sed reliqua, in quibus Schoockius formulæ ipsius non insisterat, non videntur ei plenè satisfecisse, ac speciatim omiſsionem vocabuli *& quidem solum* & c. Nam per plures septimanas istud preſtit testimonium nec eo usus est donec Schoockio Ultrajectum veniente, nactus fuit commodiorem occasionem eum inducendi ad illud reformandum. Cui rei iterum adhibitus fuit Waterlatius, qui ad ipsum hanc scedulam manu Dematii scriptam attulit ;

*Rev. Vir, Velim in testimonio tuo quæpiam mutari: quænam autem illa sint paucis accipe : Linea 21. & 22. deleantur omnia quibus linea subscripta est, & scribatur, Meque illum solum absoluisse ; Linea 40. tantum hæc retineantur, Vix esse poteram, ex amicis quæſivisse ac didicisse : linea 31. deleantur, Ab aliena manu esse, & scribatur Alienus authoris sunt, qui ubi necessum erit, ut puto, nomen suum aperiet ; vel simile quippiam ; Rationes quare ita faciendum censeo non expono, coram dicturus, Vale.*

Estque hic summoperè notanda vox, *meque illum* (nempe *librum* vel *illam Methodum*) *solum absoluisse* : Illud enim, *Solum* continet, ut Voetius excluderetur, quod est totius multiosæ hujusce technæ fundamentum. Altera vox *Tantum hæc retineantur, vix esse poteram* &c. non tam faciliè percipi posset, nisi eam explicasset ipse Dematius scripto quo se voluit defendere, inserto

Tribunali.

*Tribunali iniquo* à pag. 117. usque ad 126. At ibi nos docet Schoockium in suo testimonio posuisse se partim à Voetio, partim ab aliis amicis particularia illa rescivisse quæ Ultrajecti contigerant, uti præscriptum fuerat à Voetio; sed se Dematium credentem alios isthæc amicos non fuisse Schoockio præter Voetium à quo talia rescivisset, judicasse non ponendum esse partim à D. Voetio partim ab aliis amicis, sed inducto nomine Voetii, ponendum tantum ab amicis, quod ut legitimè factum Dematius festivè defendit. Si quid hic à me peccatum esset, inquit, peccatum in eo statuendum esset, quod Collegæ mei mihi Charissimi & cui Ecclesia Dei plurimum debet innocentie, cautelâ sorte superabundante, nemini tamen noxiâ, imò aliquibus utili (ut quæ occasionem peccandi tolleret) cavendum esse judicavi. Ita sanctus iste Vir vocat cautelam nemini noxiam, testes subornare, qui iudices decipiant, imaginando alios amicos loco Voetii, in re quam à solo Voetio profectam noverat, atque sic procurare condemnationem innocentis, ut honore & bonis, imo etiam vitâ si potis fuisset mulctaretur. Nec dici potest hunc Dematium, qui in eo Voetii curam superabat ad iudices decipiendos, nescivisse Schoockium inductum fuisse ad scribendum; quandoquidem enim sciebat quod ex solo Voetio didicisset quæ Ultrajecti contigerant, reliquum nequivit ignorare; ut nec illi persuadere ut in suo testimonio poneret, *meque illum solum absoluisse*, quin sciret hæc verba falsissimum mendacium continere. Ino ex depositione Schoockii, quæ refertur in *Bonæ fidei Sacro* pag. 4. constat primum de illo libro consilium cœptum fuisse in epulo solemnium cum & coram ipso Dematio. Ita habent illius verba, *Nimirum quum anno 1642. more suo (Schoockius) per ferias Caniculares Ultrajectum ad visendos amicos excurrisset, à D. Voetio una cum Cl. ejus Academiæ Professoribus, nonnullisque aliis honestis viris lauto atque opiparo omnino convivio fuisse exceptum. In eo mensis jam sublatis à Cl. D. Dematio aliisque injeçtam mentionem Epistolæ Cartesii ad Dinetum in qua D. Voetius præceptor ejus graviter omnino vapularet; rogatum se atque instanti hortatu invitatum à D. Voetio ut pro se præceptore suo calamum in Cartesium stringeret: Nunquid prodigiosum est, ut quod tam publicè factum fuit in epulis, coram pluribus hominibus qui curam habere debent suæ Conscientiæ & sui honoris (nolim enim credere similes Voetio fieri omnes qui ipsum frequentant) & quod insuper ex se ita probabile est, ut qui non nisi de eo per conjecturas judicant, illud verum esse non dabunt, nempe Voetium infligasse Schoockium ad scribendum contra me; an non inquam portentosum hoc ipsum ab eo electum fuisse quod negaret apud Iudices, quò fundamenti loco substerneretur sententiæ quâ me perdere destinabat? Nec potest in dubium revocari illa Schoockii narratio facta coram suis iudicibus; nam illi ejus adversarii non contradixerunt in sua lite contra ipsum, cui insperferunt tam multa aliena & minoris momenti, ut hanc omisuri non fuissent, nisi metuissent convinci posse eorum testimoniis qui tunc unâ Convivæ fuerant.*

Sed neque hoc sufficit convincendo Dematio; vult sibi probari quod importunè sollicitarit Schoockium ad insistendum schedulæ quam præscripserat; omnis enim ipsius defensio est dicere, *nulla hic importune sollicitationis species*; Quasi non satis sit importunitatis erga aliquem, postquam alter illi præscripsit testimonium quod noluit per omnia admittere, etsi alter ille plurimum posset in ipsum, ad eum insuper schedulam mittere cum his verbis, *Velim in testimonio tuo quædam mutari* &c. quod tam evidenter est contra bonos mores & leges, ut licet illa scheda nihil nisi verum contineret, reprehendi tamen mereretur qui eam misisset. Sed præterea ipsemet dicit nullam sibi intercessisse familiaritatem cum Schoockio; & tamen fatetur quod post hanc schedulam nullam venerit posttridie mane ad ipsum inter 6. & 7. matutinam; quod meo iudicio importunam admodum sollicitationem indicat: Vir ætate jam gravis ac Theologiæ Professor, summo mane adit ædes alterius longè junioris, cum quo nullam colit familiaritatem, ut ab eo rem petat quæ ad se non alter pertinet, uti declarat, quam ut bonum officium præstet amico suo, & de qua etiam ille suus amicus jam ante repulsam passus fuerat. Nemo solet quenquam adire eo modo, cum eo de re aliqua acturus, nisi animo eum serio precandi, & suas instantias & rationes adjungendi rationibus & instantiis amici à quo mittitur.

Sed fateor me nescire cur Voetius ipse non ibat ad Schoockium, nisi quod vellet in eo, ut in procuranda Schoockii scriptione contra me, simiam imitari, quæ pede catelli utebatur ad castaneas ex foro educendas. Aut forè postquam fecerat ipse à sua parte quicquid potuerat, sperabat persuasionem & auctoritatem plurium efficaciores futuras, quam unius; & oportebat ut Voetius & Dematius tanquam duo senes celeberrimi, & qui uti credo tunc totam Facultatem Theologicam vestræ Academiæ constituebant, quoniam tertius circa illa tempora deum suum obierat, artificia sua conjungerent ad castitatem istius Susannæ expugnandam.

Cæteram ut concludam, nolo vobis commemorare, quod promulgatione vestra 13. Jun. 1643. quæ adeo celebris fuit, ut illius memoria sit duratura multos in annos, expressè declaraveratis, velle vos questionem instituere de moribus Voetii, quoniam si tales essent quales descripseram, eum nocentissimum vestræ Urbis arbitraremini; ac cum illi nunc longè pejores reperiantur quam dixeram, sanè promissis vestris stare teneremini. Nolo quoque vos adversus ipsum irritare, dicendo quod justitiam habuit ludibrio, dum voluit personam rei sustinere, nunquam interrogatus; & mihi planè nescio actoris personam imponere; & fingere quod se calumniatus essem, illi rem tribuendo quam honestam reputat; & tandem condemnationem meam procurare per Deputatos quorum nomina nunquam scire potui: quod nihil minus meretur quam ita semel & serò reum constitui ut non sit quod subsannet. Nolo quoque vos contra ejus filium concitare, dicendo quod dum effudit hæc omnia, non est in leviori culpa quam D. Regius, quem ajunt suæ Professionis

amittendæ periculum adiiſſe quod in ſuſpicionem veniſſet mecum communica-  
torum conſiliorum quæ agitabantur in veſtra Academia, licet mea intereſſet illa  
noſſe, nec arcana Reip. fuiſſent, ut alius perſuaſum volebat Voetius. Nolo  
odioſos aliis hos Voetios reddere, dicendo ſic illos in malo eſſe induratos,  
& impunè peccandi conſuetudinem ita eos impudentes reddidiſſe, ut non ſo-  
lum juſtitiam ipſam, ſed ſua quoque crimina rideant; & quali teſtimonia  
apertè falſa, ſcripta manu Voetij & Dematij, ad Schoockium inducendum  
ut ea in judicio deponeret & judices falleret, res eſſent parvi momenti,  
junior Voetius ea vocat *amuleta*; quaſi periapta nullius efficacix, mihi miſſa  
ab Univerſitate Groningeniſi. Nec fatiſ habet ex ſuo patre S. Paulum fabri-  
cari, *qui nullius eſt ſibi conſcius* licet multis hominum myriadibus ejus cri-  
mina innotuerint, nihilque præter convicia & abſurditates illis diluendis pro-  
ferre queat; ſed eo uſque procedit vafanix ut eum conferat cum Jeſu Chriſto  
dicendo de D. Mareſio & me *Piet. in par. quatern. H. p. 10.* quod *Herodes &  
Pilatus amici facti eſſent ut innoxie fame ac per Dei gratiam illibata* (hujus ſcilicet  
novi Chriſti) *maculam aſpergerent.* Tandem nolo petere à Vobis juſtitiam  
contra hos calumniatores & fallarios: Veſtrum eſt judicare, num Vobis hone-  
ſtum ſit & utile, eorum crimina debitæ pœnæ ſe ſubducere; Id meà non  
refert; Non puto deinceps quenquam futurum qui fidem adhibeat iis quæ in  
me dicturi aut ſcripturi ſunt: Omnes ipſorum machinationes erunt ridiculæ &  
abſque fructu, eaſque irridebunt vel qui nondum ære lavantur, modo non  
corroborentur veſtra protectione; nam ſcelera ipſorum nunc fatiſ nota ſunt,  
aut ſi nondum fatiſ innotuerunt, meà intereſt ut ea propalem apud illos om-  
nes qui eorum mendacia poſſent audire hoc ſeculo & ſequuturis, ne mihi no-  
ceant; & conabor nihil ejus omittere quod erit mei officij.

Sed ſubmiſſè peto, id mihi permittatiſ, ut quo par eſt honore & cultu,  
quem debeo & exhibere volo Magiſtratibus talis Urbis qualis veſtra eſt, apud  
vos querar de Vobis ipſiſ, eo quod veſtro agendi modo, & ſententiã quam  
hoſtes mei jaçant ſe à vobis contra me obtinuiſſe, tantum authoritatiſ & fa-  
voris conciliaſtiſ eorum calumniis, ut juſta de cauſa poſſim dicere quod de  
vobis ſoliſ queri debeam. Non eſt quod velim ideo ullã vituperij maculã vos  
aſpergere ob ea quæ feciſtiſ; Scio vel optimoſ quoſque judiceſ poſſe decipi  
falſiſ deſiſtionibus teſtium; neſcio autem omneſ technas & fraudeſ quibus  
G. Voetius uſuſ eſt ad ea obtinenda quæ conſecutuſ eſt; imo an illa obtinuerit,  
nec certò ſcio; id unum ſcio hominem ejus quo eſt ingenio, & qui ea pollet  
authoritate quam habuit in veſtra Urbe, multa poſſe conſequi. Sed quoniam  
ratio vult & juſ poſtulat ut quoad fieri poteſt reſtituamus in integrum eoſ quoſ  
læſerimus vel neſcientieſ, vel etiam animo non tam lædendi quam bene faci-  
endi: quoniam etiam id habent in more homineſ probi, qui ſuæ famæ ſuoque  
honori conſulunt uti par eſt, ut ſollicitè reparent damna quæ neſciendo aliſ  
intulerint ne credantur datã operã & malo animo ea intuliſſe; prout è contra-  
rio ſtupidiorum eſt, & animarum vilium & infimæ ſortiſ hominum, qui ni-  
hil gene-

hil generosi sapiunt, post malum alicui illatum, etiam fortè citra animum lædendi, velle amplius illi nocere, eumque ideo solum odisse quod se ipsius odium meruisse sentiant: Similium quoque est ubi semel lapsi fuerint ut ad decus suam putent spectare etiam quod malè fecerint tueri, licet tacitè factum improbent; qua in re dum volunt supra homines esse, infra bestias se deprimunt; eò quod bestiaè semper faciunt quod sibi videtur optimum, nec tam cati & prudentes dentur unquam homines quibus quandoque falli non contingat: Quoniam denique vos reputo generositate, probitate, prudentia nemini secundos, nec dubito, postquam sunt resectæ fraudes & falsitates adversariorum meorum, sic ut eas ignorare nequeatis, quin libenter sitis occasionem captaturi mihi satisfaciendi in iis quæ petiero;

Ideo velim vos expendere quot me oneraveritis gravaminibus; Primum cum vestrà promulgatione factâ 13. Junii 1643. me citastis ad sonum campanæ, & per ea programmata, quæ tanta cum sollicitudine undique per has Provincias missa fuère, ac si erro vel profugus aliquis ac nefarii & atrocissimi ejusdam criminis reus peractus fuisset; Licet enim aliud non commemorabatur nisi quod scripsissem in Voetium, attamen quia hæc ténus fuit inauditum nulloque comprobatum exemplo aliquem tam extraordinario ritu citari quod in alium hominem privatum scripserit, nesciantque plebeji ac generatim homines illiterati, quousque se extendat peccatum quod in librorum scriptione consistit, ipsis dabatis occasionem reputandi me grande in eo admixibile peccatum & crimen quod etiam exemplo destitueretur: Eratque hæc injuria eo grandior, quod eam minus eram commeritus: Nam revera nihil aliud feceram quam me defendere longè modestiùs & moderatiùs quam tenebar, contra atrocissimas calumnias quas quis excogitare possit, & ad quas cunctari nec illis me tempestivè opponere summæ imprudentiæ fuisset; Nam præterea quod supra demonstravi Voetium consilium iniisse à longo tempore omnibus persuadendi me Atheum esse, justam habeo causam existimandi quod etiam me vellet Atheismi in Judicio insimulare, atque quantum in se foret, innocentem falsis testimoniis obruere ac opprimere. Nec enim injuria ei fiet, si dicatur aptus testibus corrupendis; & Schoockius asserit quod cum nihil magis mihi obijci à se commendaret quam Atheismum, spondebat *tales testes aliquando prodituros*, (ad me istius criminis convincendum) *qui possent revera assidui sive classici testes haberi: Nec. & mod. defens. pag. 48.* Sed ex quo vidit me meæ Defensionis invigilare nullum procudere potuit. Alterum gravaminum quibus me onerastis caput est illa sententia quæ à Vobis lata dicitur, quæ mea scripta condemnantes Prætori vestro facultatem faciebatis in me agendi, & quantum in Vobis erat me multandi honore & bonis. Addo pro tertio non solum Actum 11. Junii 1645. quo prohibebatis Typographis & Bibliopolis edere aut vendere scripta quæ pro me forent, quo tempore accepi Judicium D. D. Groninganonum, datum 10. Aprilis ejusd. anni, quod meæ iustificationi infervebat, dum Voetius curabat excudi epistolam Schoockii ad suas in me statu-



minandas calumnias, sed etiam omnem illam protectionem quam à quadrien-  
nio indulgisti injuriis istius Voetii & cæterorum quos in me concitavit; adeo  
ut aliquamdiu nemo amicorum meorum in vestra urbe ausus fuerit, nisi diffi-  
mulatis manu & nomine, ad me ea perscribere quæ isthic in meum præjudi-  
cium fiebant, licet nequirent legitime, me non pramonito, fieri. Et dum  
Schoockius affectibus Voetii indulgebat, in me scribendo ut ipsi placeret,  
atrocissimas & teterrimas quas libet calumnias, gratus Vobis hospes erat &  
in vestra Urbe acceptissimus; & testimonium quod ab ipso extortum fuerat,  
in judicio ceu bonum & validum admittebatur, licet contradictionibus sca-  
rens & æquivocationibus refertum, uti postea explicuit; debuissetque ipsius  
liber in me ante editus ipsum recusabilem & suspectum reddidisse; sed post-  
quam quædam pro me veritates confessus est, actio injuriarum ideo ipsi fuit  
intentata, & quamvis eas tam evidententer comprobavit, ut de illis D. D. Gronin-  
gani dubitare nequiverint, nondum tamen ideo apud Vos absolvi potuit.  
Adeo ut videamini à quatuor annis, omni ope in id incubuisse ut mihi mani-  
cas injiceretis & impediretis ne me defenderem dum vapulabam adver-  
sario meo & is omnem suam rabiem & furorem in me effundebat.

Sed & inter rationes propter quas à Vobis Satisfactionem expecto, &  
hanc, si placet, reponam, nempe noluisse me illa vincula quibus me con-  
tinebatis abruptere, licet facillimum fuisset; & patienter pertulisse omnes  
injurias quas ab illo tempore retuli à Voetiis; nihil moliendo ad mei vindi-  
cias, eo quod viderem Vos toto vestro corpore sic eos protegentes, ut  
vobis intactis feriri à me nequirent; neque Vos volebam offendere. Ad  
quæ omnia enixè ac supplex peto, attendere velitis, ut quam expecto à  
Vobis Satisfactionem possim consequi. Quod si aliam obtinere non dabi-  
tur, dignemini id saltem mihi concedere, quod vel gravissimorum crimi-  
num reis denegari non solet, nempe ut per Vos sciam quæ est sententia  
quæ in me lata ferunt, per quos judices lata sit, quam habuerint causam  
fundamentalem eam ferendi, & quæ fuerint tum accusationum tum proba-  
tionum capita ex quibus me condemnarunt. Super his Deum veneror velit  
Vobis ea inspirare consilia quæ Gloriæ suæ promovendæ magis conducent &  
ex quibus majorem laudem & celebritatem referatis apud eos omnes quibus  
Virtus est in pretio, justamque rationem ipse habeam me profitendi,

*Nobiliss. & Ampl. D. D.*

*Vobis additissimum*

*Des Cartes.*